



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Lutheri in articulo de Eucharistiae incertitudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

lem, & Sacramenta semper visibilia fuisse; quod etiam Melancthon in postremis Locorum Cōmū editionibus affirmat. Idem Lutherus (a) *Missam pro sacrificio agnoscat*, eamque in libro De Visitatione, vulgari lingua ubi Latina non intelligitur, dici ac recitari iubet. At in Sermone de Nouo Testamento & alibi passim Diaboli appellat inuentum, quamuis formam eius aliquam in sua Ecclesia referuarit, vt postea dicam. Lutherus, (b) iam Latina, iam vulgari, iam alta, iam summissa voce eam vult decantari: idem iam Canonem solum pro Missa iam pro abominatione habet. Modo ei Missa est Euangelij compendium, mox idololatria Iudaicā detestabilior. Iam pluribus ea, etiam defunctis prodest: iam nemini nisi celebranti, ac tandem nulli omnino. Coniugium Sacramentum esse Tomo V. scribit: at II. id negat.

III. In Sermone de Lazaro ait de Scriptura probari non posse, pro mortuis orandum esse: at de contrario in sermone de Natiuitate Ioannis Baptistæ & in Resolutionibus, conclusione xix. dicit, sanctum desiderium quo animæ torquentur, Ecclesiæ precibus leniri, quum Deus velit vt eis subueniatur. Et in sermone de Indulgentijs ait, nihil dubitare se quin Missa pro defunctis celebrata, multo maiorem eis afferat vtilitatem quam Indulgentiæ. Deinde in libro De abroganda Missa omnia illa quæ ante dixerat eludit, quamuis diuersis in locis Purgatorium esse fateatur, immo pro certo atq; indubitato asserat. Idem tamen ad Valdenses, vt Purgatorium quis esse credat, neminem tenet scribit, quum nihil de eo in scriptura habeatur. Conclusio ex contra Ecciam Lutherus ait, Christi merita thesaurum esse Ecclesiæ, ac certum esse nos Sanctorum quoque meritis adiuuari. Idem alibi, se cū tota Christiana Ecclesia statuere dicit, Sanctos honorandos esse & inuocandos. *Quid enim, inquit, opponere quis possit ijs miraculis qua hodie etiam Deus per Sanctorum Reliquias operatur?* Sed audiamus eum alibi loquentem. Ego, ait, pro omnibus S. Patri meritis ne obolum quidem interdum, vt qui seipsum iuuare non potuerit. In libro de Præparatione ad mortem dicit, Sanctos in auxilium esse vocandos, è contra vero idem in Capite de Fide, editionis de Anno MD XLIV. nec rogandos nec inuocandos esse affirmat. Et hanc quidem opinionem Lutherani Missæ fabri amplexi sunt; ac propterea ex ea omnem Sanctorum memoriam sustulerunt, contra totius Ecclesiæ consuetudinem. Omnes enim qui in toto Mundo sunt Christiani, Latini, Græci,

Moscovitæ, Armenij, Abyssini, & alij in Missis & Liturgijs suis Sanctorum commemorationem celebrant, Apostolorum in eo traditionem sequentes, cuius S. Dionysius & S. Clemens faciunt mentionem. *Quando sacrificium celebramus, (id est Missam) inquit Cyrillus, Sanctorum commemorationem facimus, vt Deus ipsorum precibus & intercessione supplicationes nostras exaudiat.* An putamus eum qui à Theodoreto strenuus Apostolicæ Fidei Defensor appellatur, Christianis falsam doctrinam tradere, aut de vilitate in prisca Ecclesia ritibus falsum testimonium dare voluisse? Equidem Sanctos nequaquam nos adorare animum vumquam induxerimus, nisi eos inuocando & honorando, Deus etiam simul inuocaretur & honoraretur. Illos nos inuocamus, vt Deum nobiscum inuocent, laudent ac celebrent. *Quod si illi quum in Mundo adhuc essent (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) pro nobis orare potuerunt, quanto melius idem iam facere poterunt, gloriose in caelis triumphantes: quorum virtus ad ipsas mortuorum corporum tumbas semper rediuit ac recens apparet.* Idem S. Augustinus & S. Chrysostomus dicunt. Quis vero tam est perficitæ frontis, vt à tantum horum sententia prouocare audeat? nisi fortassis malignus aliquis spiritus ex Inferno progressus. *Exstimandum non est, vt inquit S. Gregorius, quidquam in Mundo ijs ignotum esse exterius, qui interius diuinae charitatis sunt participes. In Dei lumine, ait S. Bernardus, discit quis quod nescit, neque tamen quod scit obliuiscitur.* Verum vt hominis huius inconstantiam tanto melius cognoscamus, alijque ostendamus, non pigebit nos scripta eius, licet præter gustum ac voluntatem, euoluere, atque ex ijs loca quædam producere, è quibus tanto Propheta & Doctore nequaquam dignæ contradictiones eluēscant, quas tamen ipse in se agnouit. In Præfatione enim libris suis præfixa lectori ante omnia rogat & per Iesum Christum obsecrat, *vti scripta ipsius cum iudicio & quadam commiseratione legat, ac meminerit ipsum olim Monachum fuisse.* Dicamus primo de Eucharistia.

IV. Certum est Lutherum initio de Sacramento altaris idem cum Catholica sensisse Ecclesiā. Hinc ad Albertum Marchionem Brandeburgicum scribit, *quum opinio de Sacramento in Ecclesia semper fuerit vniformis, eam in dubium reuocare, nihil aliud esse quam dubitare, vtrum Deus Ecclesiam in terra habeat.* Et alibi ait, *Verba Christi nuda esse atque*

a *Exposit psal. 105 & in Resolut. 26.* b *Cochl. in Septuaginta Lutheri.*

aperta, neque vlla interpretatione eò deflecti posse, ut panis corpus Christi pro nobis traditum & calix sanguis pro nobis effusus esse negetur. At postea ab hac sententia ita defecit, ut quid senserit, vix quisquam certo scire potuerit. Nam in hoc vno de S. Eucharistia articulo, triginta sex Lutheri contrariæ inter se opinioniones notantur. Iam enim illud Hoc exponebat In, iam Cum hoc: immo verba hæc centum alijs modis transformabat. Varietatem hanc Gaspar Querhamerus eius Hallensis notauit, quam etiam Tigurini Theologi Orthodoxæ suæ Confessioni subiuoerunt. Peucerus vero apud Schlüsselburgium (a) affirmat, esse penes se epistolam Lutheri manu scriptam, in qua ille Tigurinam approbet Confessionem. Tot tantasque contradictiones omnes attingere hoc loco piget me ac tædet. Id sane constat, Lutherum mille phantasias cerebrum suum hoc vno articulo, quid de realitate Corporis Christi in Sacramento sentiendum sit, de se fatigasse. Carolstad jopinio ineptia ipsi videbatur, vti sane erat ineptissima. Quid enim ineptius, quam dicere, Christum dicentem: *Hoc est corpus meum*. Corpus suum & non Panem demonstrasse? Zuinglij opinionem prauam iudicabat & fraudulentam, vti qui pro vero Corpore & Sanguine Iesu Christi nihil aliud quam ventum & fumum, id est mera signa Christianis in Sacramento reliquerit, quæ amicus Christi non de vlla figura aut signo loquaer. Quod Zuinglius ægre ferens, Lutherum dicebat ad se sibi non constare, ut tertia aut quarta quoque linea tueretur, & modo hoc, modo illud, nihil vero certi vllibi affirmet, ac Dei verbo effronti quadam impudentia abutatur.

V. Transsubstantiationem Catholicorum, qui post verba consecrationis panis & vini substantiam in verum corpus & sanguinem Iesu Christi cõuertit, ac nihil præter species seu panis & vini accidentia remanere credunt, idem tamquam impossibilem explodit. Sed quid? An qui exhibito id quod nondum erat facere potuit, non verbo iuores que sunt in id quod non sunt transmutare possit? ut B. Ambrosius loquitur (d) Post verba Consecrationis Augustinus non panem sed Corpus Christi in Sacramento esse dicit (e) Et Ambrosius ait, benedictionem illam maiores habere vires quam Naturam, quum hac illa mutetur. Cyrillus inquit (f) panem Eucharisticum in propriam Christi carnem conuertit. Quemadmodum enim super naturaliter carnem assumptam deificauit, ut ita loqui liceat; sic eundem res has in corpus suum ineffabili quodam modo transmutare. Et sicut in hoc Sacramento, ut B.

Bernardus loquitur, species videntur, quarum res vel substantia ibi esse non creduntur; sic vere & substantialiter res hic est, cuius species non videtur. Ibi enim species seu accidentia panis & vini videntur, at ipsa panis & vini substantia, ut quæ in oculis non incurrat, esse ibi non creditur; hic vero contrariâ plane ratione substantia corporis & sanguinis Iesu Christi esse creditur, quamuis vtriusque species non videantur. Vt enim ceram ignem imposita, in ignem à quo consumitur, propria amissa substantia, vertitur; sic proposita in hoc Sacramento elementa diuina virtute in aliam naturam, ipsumque corpus & sanguinem Domini nostri mutantur. Lutherus antequam Transsubstantiationem impugnaret, præter ea quæ à SS. Patribus eam in rem scripta sunt, obseruare debuit, iam olim ante filij Dei incarnationem à Fidei nostræ hostibus prodita in eorum archiuis testimonia extare.

Sic vero Rabi Cahana scribit. (f) Sacrificium quod de vino fiet, non solum in substantiam sanguinis Messie commutabitur, verum etiam in substantiam corporis conuertetur. Et in sacrificio quod pane fiet, quamuis ille candidus sit ut lac, eius tamen substantia in substantiam corporis Messie conuertetur. Et in sacrificio vini erunt sanguis & caro Messie, eademque erunt in pane, quum corpus Messie diuidi non possit. Audiamus & alterum Rabi huius socium, qui ante Saluatoris Natiuitatem vixit, ludam nomine. (h) Panis hic panis Facierum dicitur, eo quod quando sacrificabitur, de panis substantia in substantiam corporis Messie, quod de cælo descendit, transmutabitur. Entibi Transsubstantiationem ab ipsis infensissimis Christianæ religionis hostibus vi veritatis extortam. Sed ne ulterius in Theologiæ abdita penetremus, noui huius Apostoli inconstantiam ostendere nobis saterit, qui libro II. contra Zuinglium ait, (i) Disputationem hanc, utrum panis maneat aut mutetur, friuolam sibi & inanem semper visam: quamuis cum VVicleuo credas, panem manere; & contra Sophistas omnesque Logica regulas & axiomata, Christi corpus ibi esse. De illo se contendere nolle, utrum vinum maneat vel non; sed sufficere sibi quod sanguis ibi sit, è vino quo Deus voluerit modo

T 2 factus
a Lib. 2. Theol. Calu fol. 107. b Tom. 2. resp. ad Conf. Luth fol. 454. & 458. c Lib. 4. de Sacram. d Hom. 8. de ver. Dom. e Epist. ad Col. f In Demonstratione de Euchr. g Sup. 2. cap. Num. h 2. Tom. in Conf. de Cœn. Dom.